

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Matthaeus Voland Petrus Egardus

**Collegii Logici Disputatio VIII. De Conversione Propositionum Simplicium,  
Enunciatione Composita, Modali & Exponibili**

Rostochii: Kilius, 1642

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729608506>

Druck Freier  Zugang



R u. phys 1642

Voland, Matthaeus,  
Collegii logici disputatio  
2 - 11



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn729608506/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729608506/phys_0002)

**DFG**

בשנת האמצע

COLLEGII LOGICI  
Disputatio VIII.

71.1

Dicitur  
**CONVER SIONE**  
PROPOSITIONUM SIMPLI-  
CIUM, ENUNCIATIONE COM-  
posita, Modali & Exponibili,

Quam

PerMISSU

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ

In Alma Rosarum

SUB PRÆSIDIO

M. MATTHÆI VOLAND,

Mœno-Francofurtani S. S. Theol.

Studioſi,

Præfantissimis & literatissimis suis Dominis

Collegis veniilandam proponit

PETRUS EGARDUS, Killinghusio

Holsatus.

Ad diem 13. Junij.

as (o) 90

ROSTOCHII,

Literis NICOLAI KILII Academ: Typogr.  
ANNO M. DC. XLII.

*Frumenta C. I. Tunc et Proposita*



Collegij Logici

DISPUTATIO VIII.

De

CONVERSIONE PROPOSITIONUM SIMPLICIUM, ENUNCIATIONE COMPOSITA, MODALI,  
ET EXPONIBILI.

THEISIS I.

**M**N præcedenti disputatione de enunciationis simplicis affectionibus, oppositione videlicet & æquipollentia dictum est, restat ut in disputatione de conversione propositionum ut & de enunciatione composita, modali & exponibili aliquid dicamus; Primo autem omnium exordium hujus disputationis à conversione propositionum juxtam methodum propositam ducendum est.

2. Conversio apud Dialeticos triplex est: 1. In rebus absolutis, inter terminos, qui de se mutuo universaliter affirmantur, ut inter *hominem* & *risibile*: Nam possum dicere *omnem hominem esse risibilem*: & *omne risibile esse hominem*. 2. In relativis, inter terminos, qui se mutuo respiciunt, ut inter patrem & filium: Nam *omni pater est filii pater*: & *omni filius est patris filius*. 3. In propositionibus, prout hic loci consideranda est.

3. Distinctos hos conversionis modos Logici distinctis nominibus efferunt, & eam quæ est inter terminos absolutos vocant *convertibilitatem*, quæ inter relativa *convertentiam* quæ autem inter propositiones datur propriè conversionem appellant, quæ est *huius loci*, & de qua nunc etiam agendum est,

A

4. Con-

4. Conversio est apta terminorum propositionis mutatio,  
qua salvâ veritate ex subjecto enunciationis fit prædicatum & ex  
prædicato subjectum ut nullus equus est homo, nullus homo est equus.

5. Notetur autem priorem propositionem vocari conversam  
quia convertitur, posteriorem convertentem quia convertit.

6. Conversio vulgo dicitur esse triplex 1. simplex, 2. per Accidens 3. per contrapositionem.

7. Conversio verò per contrapositionem non videtur esse  
propriè ita dicta conversio, 1. quia omnis conversio requirit iden-  
titatem terminorum verùm termini in hac conversione non ma-  
nent iidem: mutantur enim termini finiti in infinitos 2. non ma-  
nent eadem Qualitas, at in vera cooverzione identitas Qualitatis  
etiam observanda est. Sic quum dico: *Quicunqz ex Deo est, verbum*  
*Dei audit: Qui non audit verbum Dei, non est ex Deo. Plato est Phi-*  
*losophus Ergo, qui non est Philosophus, non est Plato:* conversionem  
hanc per contrapositionem institutam nemini non vel mediocriter  
in Logicis versato patet. Ast qui etiam terminos mutatos & quali-  
tatem mutatam non videat, hunc cucurbitas lippire necesse est.

8. Duæ ergò propriè dictæ conversionis species sunt 1. con-  
versio simplex, 2. conversio per accidens & ad jungitur tertia im-  
propriè dicta, quæ est per contrapositionem de qua quid sentien-  
dum, modò dictum est: Sed tamen observetur adhuc eandem  
potius esse consecutionis quam conversionis speciem: Interim ta-  
men nos illam huc referimus etiam, ut ita habeamus ansam can-  
dem definiendi & dicendi, quænam porpositiones convertantur  
per contrapositionem.

9. Antequam ad definitionem propositionum conversionis  
specierum descendamus, notandus est versiculus, monstrans nobis,  
quænam propositions convertantur simpliciter, quænam per ac-  
cidens, quænam per contrapositionem. Est autem talis:

FEc! simpliciter convertitur, EvA per Acci,

AStO per contra: sic fit conversio tota.

10. Notant Logici hic vocales aliquid notare in hisce techni-  
cis vocabulis, & quidem Qualitatem & Quantitatem propositio-  
num: A. & E. notant propositiones universales. A. universalem  
affirmativam. E. universalem negativam: I. & O. ostendunt  
pro-

propositiones particulares: I. particularem affirmativam O. particularem negativam.

II. Simplex conversio est quæ ex subjecto prædicatum & ex hoc subjectum facit manente eadem quantitate & qualitate. Hac conversionis specie convertuntur propositiones, universales negativæ & particulares affirmativæ, quod indicatur per vocabulum technicum FECl; ut *Nullum corpus simplex est corpus mixtum* Ergo. *Nullum corpus mixtum est corpus simplex*: *Quidam homo est rationalis* E. *Quoddam rationale est homo*.

12. Ad hanc conversionem referunt etiam propositiones indefinitas, ut *homo est animal*; *Animal est homo*, *Homo est Philosophus*, *Philosophus est homo* 2. propositiones singulares, ubi & subjectum & prædicatum pluribus entibus est incommunicabile & terminus singularis, ut *Christus est Salvator mundi* E. *Salvator mundi est Christus*.

13. Objiciat aliquis hic 1 propositiones hasce universales affirmativas: *Omnis homo est risibilis*: *Omnis equus est hinnibilis*. *Omnis leo est rugibilis* & similes, quæ etiam possunt converti simpliciter nec tamen sunt universales negativæ sed affirmativæ: Rectè enim dico; *Omne risibile est homo*: *Omne hinnibile est equus*: *Omne rugibile est Leo*. Respond. has conversiones non esse formales sed materiales, adeoq; esse bonas secundum quid non absolute & simpliciter: Imò potius vocari easdem posse reciprocationes quam veras conversiones: cujusmodi reciprocationes sunt cum vel definitum cum definitione sua reciprocatur, ut: *Omnis homo est animal rationale* E. *Cmne animal rationale est homo*; vel descriptum cum sua descriptione, ut: *omnis asinus est animal ruditibile* Ergo *omne animal ruditibile est asinus* vel subjectum cum proprietate, ut: *omnis canis est latrabilis*; E. *Omne latrabile est canis*. vel species cum differentia sua reciprocatur, ut: *Omnis homo est rationalis* E. *omne rationalis est homo*: Videantur etiam ea quæ dicta sunt in thesi nostra secunda, & illa quoq; hanc rem declarabunt.

Objiciunt præterea propositionem hanc: *Nullus equus est necessarius ad equitandum*, (quia nechic equus videlicet Bucephalus est necessarius ad equitandum, cum equitare aliquis possit Pegaso, neq; Pegasus etiam est necessarius ad equitandum, cum equitare possit

in Gaij Imperatoris Incitato, sed neq; Incitatus hic necessarius est ad equitandum, cum alium assumere possis, imò ne ullum quidem certum equum nominaveris, qui tibi necessarius sit ad equitandum. E. Nullum necessarium ad equitandum, est equus : Hæc convertens est falsa ; datur enim aliquod necessarium ad equitandum, quod sit equus. Conversa tamen fuit vera. Regula E. hæc quæ dicit converti simpliciter universales negativas, non est universaliter vera. Respond. Falsitatem conversionis hujus ortam ex diversa subjecti propositionis convertendæ & convertentis acceptione: Sumitur enim subjectum in utraq; propositione vel copulative, & sic utraq; propositio vera erit, vel copulativæ & sic utraq; propositio falsa est. Sic ulterius objicitur & hoc exemplum: Nullus homo non est animal: hæc est vera E. Nullum animal non est homo, hæc est falsa, idem enim dicit quod hæc; omne animal est homo: at quis non videt falsitatem hujus propositionis? Sed Resp. propositio convertanda non est negativa sed est affirmativa universalis: Nullus non enim valet, omnū, ut audivimus in disputatione VII. Universales autem affirmatiæ non convertuntur simpliciter, sed per accidens: Ita ergo convertatur: Nullus homo non est animal: E. aliquid animal non non est homo: Vel sumatur convertendæ propositionis æquipollens, quæ est: omnū homo est animal, quam facile converto in hanc: Quodam animal est homo. Posset etiam aliquis hanc propositionem objicere, quam etiam alias objiciunt: ut Dolus nemini debet patrocinari, quæ si convertitur ita; E. Quiequid nemini debet patrocinari, est dolus, falsam habet hanc convertentem, nam etiam mala causa nemini patrocinari debet, quæ tamen à dolo distinctum quid esse potest. Resp. si conversa sit, universalis negativa, ut ponitur esse, turic hæc propositio: Dolus nemini debet patrocinari, aquipollit isti, quæ sequitur; Nullus dolus debet alicui patrocinari: Facilius jam convertitur E. nihil aut nullares, que debet alicui patrocinari, est dolus. Objectant præterea contra hanc sententiam, dicentem, converti simpliciter universales enunciationses negatiæ, s. hoc exemplum: Nullus senex erit puer sc. ætate (non judicio, sic enim senex bis puer fieri potest.) Ergo. Nullus puer erit senex; Quod tamen se fote multi sperant, multi etiam cano capite se consecutos esse ostendunt. Sic etiam objiciunt: Nullus puer fuit senex Ergo.

Ergo. *Nullus senex fuit puer*, prior est vera, posterior est falsa, at in  
vera & legitima conversione utraq; vera esse debet propositio.  
Resp. hic cum Ægidio regulas hasce conversionum ab Aristotele  
traditas esse de propositionibus de præsenti: Si autem quis velit  
eas accommodare propositionibus de præterito aut futuro, resolvendas  
prius esse in copulam *Est* & participium futuri aut præteri-  
ti temporis, ut: illa propositio: *Nullus senex erit puer* resolvitur  
in istam; *Nullus senex est passurus pueritiam*; Quo facto facile  
convertitur in istam *Nullus passurus pueritiam est senex*: Sic & hæc  
propositio, *Nullus puer fuit senex* antequam convertatur, resolvi  
debet juxta Ægidij monitum in copulam *Est* & participium præte-  
riti temporis hoc modò: *Nullus puer passus est senectutem*: Hoc ob-  
servato, facilima nunc est conversio: convertitur enim in istam:  
*Nullus passus senectutem, est puer*. Responderi potest & insuper ex  
Aristotele lib. i. Elench. c. 3. ubi docet, subjecta propositionum, in  
quibus est verbum præteriti temporis, ampliari ad præsens & præ-  
teritum: in quibus autem est verbum de futuro, extendi ad præ-  
sens & futurum: quo modo sensus primæ propositionis est: *Nul-  
lu qui est, aut erit senex, erit puer*. Secundæ verò sensus talis est;  
*Nullus qui est, vel fuit puer, fuit senex*. At hac ratione ambæ sunt  
falsæ, prima; quia multi futuri sunt senes & pueri. Secunda: quia  
multi fuerunt pueri, & senes. Ex falsis verò antecedentibus non est  
mirum falsam consequentiam inferri. Vid Conimbric: ca: 2. de con-  
vers: propos: absol: Quest: 1. Art: 1. in respon: ad quartum objectum.  
Adferunt & hic objectionis loco hoc exemplum: *Nulla essentia  
divina generat, hæc vera est: falsa tamen ista*. *Nullum generans est  
essentia divina*: Pater enim æternus, qui est essentia divina, ge-  
nerat. Resp. hic cum Conimbric: hanc propositionem non  
esse universalem, quia non constat subjecto communi affecto-  
signo universali distribuente subjectum pro omnibus: Con-  
stat enim subjecto singulari minimè distributo. Nam essentia di-  
vina est singularis, & non distributè sumitur hac in propositione.  
*Nulla essentia divina generat*: Sumitur enim instatū præcisionis,  
prout præscindit à Patre, filio & Sp: S. & ita *nulla essentia divina  
generat*: si verò essentia divina sumatur personaliter, hoc est, pro  
personis, quibus essentia divina communicatur, propositio quidem

aliquo modo universalis est, sed falsa, quia aliquid pro quo supponit essentia, divina, nimirum, pater generat *vide Conimbric: alleg: c. 2.*  
*de conver: propos Absol: Quest: i. Art: i. in resp: ad arg. 2. object:*

14. Dictum est, quod simpliciter possint converti particulares affirmativa: sed obstare hic videntur quædam exempla contraria, quorum est I. *Aliquid homo est mortuus*: hæc est vera, multorum enim acerbis lachrymis hoc comprobatum: Si verò inferas, Ergo. *Aliquod mortuum est homo*, falsam vides convertentem. Resp. Vitium hujus conversionis inde esse natum; quia termini in hac conversione non accipiuntur uno eodemq; modo. Nam subjectum (homo) conversa sumitur per ampliationem pro eo, qui est vel fuit homo: Terminus vero homo inconvertente sumitur pro eo qui actu existit homo, idq; per statum. Si verò termini sumantur eodem modo, videlicet pro re præterita, non præsente, optima instituitur conversio, ut: *Aliquid homo, qui jam non est, sed fuit, est mortuus* E. *aliquod mortuum est homo, qui jam non est sed fuit* II. *Aliqua species est homo* E. *aliquis homo est species*. Resp. Hic peccari contra regulam, quæ jubet retineri identitatem terminorū. Nam in conversa, homo habet suppositionem simplicem, in convertente suppositionem personalem; melior fortè fieret conversio, si ita inferretur E. *Aliquid quod est homo (præcisè acceptus) est species*.

III. *Aliquis homo incipit vel definit esse albus*: In metu enim cum exalbescit, incipit, in laqueo cum suffocatur, definit esse albus Ergo *aliquid album incipit vel definit esse homo*: Nec enim qui metu madet: & pallore albet, tum primum incipit esse homo; nec qui nigrum in cute colorem trahit (potest enim & ad solēm æthiopisare) eo ipso definit esse homo. Potest verò hæc conversio facili negotio ita corrigi: *Aliquis homo incipit vel definit esse albus* E. *quodam quod incipit vel definit esse album, est homo*.

15. Tantum de conversione simplici dictum esto, sequitur conversio per accidens.

16. Conversio per accidens est, quæ ex subjecto prædicatum nec non ex hoc subjectum facit manente qualitate sed mutata quantitate. Hæc conversio locum habet in propositionibus universalibus tam affirmativis quam negativis, *ut omnis homo est animal* Ergo. *Quoddam animal est homo*: Nullus homo est bestia Ergo.

Que-

*Quædam bestia non est homo: Ad hanc conversionis speciem referrunt etiam singula res propositiones non puras ut Aristoteles est Philosophus. E. Quidam Philosophus est Aristoteles.*

17. Quod conversione per accidens convertantur propositiones universales affirmativæ & negativæ ostendit vocabulum technicum Eva.

18. Objectiones contra hanc regulam vide apud Conimbricens. cap. 2. de conver. Propos. Absol: Questio 1. Artic: 2.

19. Conversio per contrapositionem est, quâ mutatur qualitas retentâ quantitate, mutatis sc: terminis finitis in infinitos. Hac conversione convertuntur propositiones universales affirmativæ & particulares negativæ, ut: *omnis leo est rugibilis* E. *Quodcumq; non est rugibile, non est leo* vel ita, *omne non rugibile, est non leo*. *Quidam homo non est logicus* E. *Quidam non Logicus non est non homo* vel ita: *Quidam non Logicus est homo*. Huc etiam referri queunt propositiones singulares, *ut Aristoteles est Philosophus* E. *qui non est Philosophus, non est Aristoteles*.

#### *Documenta de conversione notanda.*

20. I. Subjectum in oratione omissum expressè ponatur, ut: *ante annum disputavit, cras videbit*: Subjecta hic sunt omissa in propositionibus hisce, expressè ergò ponenda sunt, idq; propterea, ut legitimâ institui queat conversio, quæ est, transpositio terminorum subjecti videlicet & prædicati: Supplentur verò ita subjecta omissa, *Petrus ante annum disputavit; Paulus cras videbit*: facile nunc convertuntur propositiones hæc: convertentes enim earum sunt: *Quidam qui disputavit ante annum, est vel fuit Petrus: Quidam qui cras videbit, est vel erit Paulus*.

II. In oratione secundi adjeci utendum est descriptione: *Deus est E. quidam qui est, est Deus: Aristoteles fuit E. quidam qui fuit, fuit Aristoteles: Judicium extreum erit, E. quoddam quod erit, erit iudicium extreum*.

III. Si post copulam sequatur casus obliquus, itidem descriptione utendum est, ut: *Piscis est in aqua. E. quoddam quod est in aqua est piscis. Paulus est in templo: E. quoddam quod est in templo, est Paulus vel resolvatur hæc propositio ita: Paulus est in templo id est, Paulus est ens vel existens in templo E. quoddam ens velexistens in templo est Paulus.*

IV. Si

IV. Si subjectum propositionis convertenda sit casus obliquus, mutetur in rectum, ut *Philosophi est benè vivere*, resolvatur hæc propositio hoc modo: *Philosophus debet benè vivere, E. Quidam qui debet bene vivere, est Philosophus.*

V. In conversione debent termini mutari non ratione significationis, sed saltem ratione situs. Ratio est 1. quia termini & in conversa & convertente debent esse eisdem 2. Quia alias ex verâ conversâ, inferretur convertens salsa, ut: *Nullum combustum est domus E. nulla domus est combusta.* Falsitas vel potius vitium in conversione inde est quia termini mutantur. Si verò termini sumantur eodem modo, legitima fit conversio, ut: *Nullum combustum quod jam est combustum est domus E. Nulla domus, qua jam est domus, est combusta.*

VI. In conversione debent termini integrè transponi, non vero eorum partes: ut pessima est hæc conversio. *Nullum Museum est in homine E. Nullus homo est in Museo*, ita debebat inferri convertens. *E. Nullum existens vel ens in homine est museum*, & hac ratione verissima est convertens.

VII. Ut propositiones modales & exponibiles rectè convertantur, notandum est particulæ modales & exponibiles, quando faciunt ejusmodi propositiones, ad prædicatum pertinere, adeoque simul transponi debere in locum subjecti: & præterea enunciations modales formatas ex casibus obliquis, mutandas esse in enunciations, constantes ex casibus rectis. Sic bonæ sunt Conversiones; *Christus quà Deus est æqualis Patri E. æqualis Patri quà Deus, est Christus: Necesse est omnem hominem esse animal:* Hæc propositio antequam convertatur, resolvi debet in propositionem, quæ constet casibus rectis hoc modo: *Omnù homo necessariò est animal facile nunc & verè convertitur hæc in istam: E. quoddam quod est necessariò animal, est homo.*

VIII. In conversione etiam notandum est quod termini sumantur modo per statum, modo per ampliationem, modo per distinctionem.

Status est acceptio termini pro tempore eodem, quod significatur per verbum propositionis *ut homo currit*, id est, *homo jam existens currit*: Ampliari dicitur terminus, quando pro pluribus sumitur,

sumitur, quam per differentiam temporis per copulam denotatam innuitur. Vel ampliatio est extensio significationis à minori ad majorem, ut: *sedens* surgebat id est qui sedet aut sedebat. Ampliatio hæc fit triplici modo, vel 1. ad præsens & præteritum vel 2. ad præsens & futurum, vel 3. ad præsens, præteritum, & futurum. Distractio est, cum terminus sumitur non pro eadem, sed prorsus alia temporis differentia, quam ipsa copula innuit; vel, distractio est, quando aliama temporis differentiam mens mea concipit in subjecto quam in prædicato: ut *Claudi ambulant*: id est qui fuerunt *Claudi ambulantes*: *Virgo* (que fuit virgo) est meretrix. Hinc jam notanda est hæc regula, quod in conversione debeat esse eadem ampliatio, distractio & status, id est. Eam temporis differentiam, quam mens mea concipit seu subintelligit in subjecto convertendæ, debet & subintelligere, seu potius expressè addere in prædicato convertentis ut cæci vident: id est qui fuerunt cæci vident: facilis jam est conversione. E. qui vident, fuerunt cæci.

*Tantum de conversione, sequitur tractatio*

*De enunciatione composita.*

21. Enunciatio est vel simplex vel composita: Simplex enunciatio est, quæ constat uno subjecto & prædicato tanquam partibus immediatis, de illa nunc dictum est in hac & nonnullis præcedentibus disputationibus; Composita vero enunciatio est, quæ constat pluribus simplicibus enunciationibus conjunctione connexis vel etiam interdum simplici & composita.

22. Differunt vero propositione simplex & composita 1. diversa copulandi ratione. In simplici propositione verbalis est copula; in composita vero conjunctio præstat officium copulæ. 2. In simplici una verbalis adest copula, in composita plures. 3. simplex constat uno subjecto & prædicato: Composita vero cum plurimis enunciationibus constet, plura subjecta & prædicata habet 4. differunt resolutione: Simplex resolvitur in subjectum & prædicatum: Composita vero in Antecedens & consequens 5. Simplex habet certas affectiones, Quantitatem, Conversionem & Äquivalentiam, quas non habet composita.

23. Formalis ratio enunciationum compositarum consistit in ipsa conjunctione. Plures enim enunciations simplices conne-

Etuntur ita: ut una ad alteram sequatur, & ita oritur hypothetica seu conditionalis, vel ita copulantur plures simplices, ut una sit simul cum altera, & ita sit copulativa, vel ita plures simplices conjunguntur, ut una ab altera dividatur, seu potius, ut una sit falsa, vera sit altera, & ita sit disjunctiva.

24. Est igitur enunciatio composita vel hypothetica, quæ dicitur alias conditionalis, vel copulativa, vel disjunctiva.

25. Hypothetica dicitur ab *υαστηρος*, quia certa præsupposita conditione aliquid infert ut *Joh:3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu non potest ingredi in regnum caelorum*. Def. Hypothetica seu conditionalis proposition est, quæ aliquid enunciat sub conditione facta per conjunctionem, Si vel Nisi. ut: si sol ortus est, dies est.

26. Hypothetica proposition resolvitur in antecedens & consequens: Antecedens est enunciatio simplex, quæ supponitur, consequens est enunciatio simplex quæ consequitur, ut: si leo est bestia, est animal, illud; leo est bestia, est antecedens, hoc, leo est animal est consequens. Sed tamen hic notandum, antecedens & consequens non esse solùm enunciationes simplices sed interdum vel alteram vel utramq; esse enunciationem compositam.

27. Notandum etiam hic est de antecedente & consequente non judicandum esse ex positu, sed potius ex sensu, ita ut illud antecedens appelletur, ex quo aliquid sequitur, & illud consequens, quod ex alio sequitur. Siquidem antecedens potest posteriori loco ponи, ut: *Leo est animal, si est bestia*.

28. Veritas conditionalis non dependet ex partium sed ex totius connexionis veritate: Vera E. est conditionalis, si una ad alteram consequatur: Vel, si consequens sequitur ad antecedens: ut *Si Chimara est homo, est animal*. *Si asinus volat, habet pennas*: Falsa est, cum consequens non sequitur ad antecedens: ut si *Aristoteles fuit homo, fuit doctus*. Falsa est hæc, quia consequens, doctum esse, non sequitur ad antecedens, esse hominem.

29. Conditionalis nihil ponit inesse: Nihil absoluti ponit, sed tamen consequentiam dicit. Vel, conditionalis nihil affirmat vel negat, sed tantum ostendit, quod posito antecedente necessario sequatur.

sequatur consequens, ut: *Si homo habet pennas, volare potest.* Non affirmo hominem habere pennas, sed tantum consecutionem ostendo, juxta quam ex hoc, si aliquis pennas habet, sequitur quod volare possit. *Si moses & Samuel starent coram populo, tamen non haberem beneficium.*

30. Condicio impossibilis correspondet negativae propositioni simplici: ut, *Si calum retigeris digito, dabo tibi centum thaleros, id est, non dabo.*

31. Enunciatio composita copulativa est, cuius partes connlicantur per conjunctionem copulativam: *ut, homo & est rationalis & est risibilis, & est risibilis.*

32. Copulativa vera est, si omnes & simplices propositiones verae sunt, si vero una simplicium falsa existit, tota copulativa falsa est. Sic vera est haec: *Homo & est animal & est rationalis & risibilis.* Falsa autem est ista: *Homo & est rationalis & est risibilis & est leo,* quia una est falsa ideoque tota enunciatio copulativa falsa est. Sic falsa est & haec: *Christus mortuus est & non resurrexit.*

33. Ob iicit vero aliquis illas modò positas propositiones esse ex semisse veras, & ex semisse falsas, & proinde non debere dici simpliciter falsas. Resp. cum Scheiblero tales propositiones absolute falsas esse, quia natura harum copulatarum propositionum est significare plura conjuncta esse. Proinde si quæ à parte rei conjuncta sint, tunc propositio vera est; Si vero extrema non sint conjuncta, quæ in oratione conjunguntur, statim propositio est falsa. Per conjuncta intelliguntur positiva & negationes eorum: ita in Christo conjunguntur mori & non putrefacere; mori & resurgere.

34. Disjunctiva est cuius partes disponuntur conjunctione disjunctiva. Aut, vel &c: ut: *hoc animal aut est homo aut est bestia. Omnis homo aut est doctus, aut non est doctus.*

35. In disjunctivis propositionibus una simplex debet esse vera, altera falsa, & si plures duabus sunt simplices, tum falsæ sunt cæteræ existente unâ tantum verâ. Sic vera est haec. *Omnis homo aut est doctus, aut non est doctus,* quia si vera sit una, altera necessariò debet esse falsa: Sic & haec vera est: *Aut dies est aut nox est, aut est crepusculum.* Una enim pars ex his tribus vera esse debet cæteræ falsæ.

B 2

36. In

36. In disjunctiva igitur vera omnes simplices non debent esse falsæ neq; omnes debent esse veræ. Sic falsa est hæc. Aut dies est aut nox est, quia tertium datur sc: crepusculum, quod neq; nox est neq; dies est. Falsa est & ista: Petrus aut est homo aut animal: omnes simplices enim veræ sunt, nam esse hominem & esse animal in Petro sunt subordinata & amicè conspirant.

37. Hinc Logici ad disjunctivam requirunt 1. oppositionem membrorum, 2. immediationem, ut non possit dati tertium id est. In disjunctiva propositione membra debent esse opposita. Sic hæc disjunctiva vera non est: Aut Paulus est risibilis aut est rationabilis: quia membra hæc non sunt opposita. Præterea membra debent etiam esse sufficienter enumerata. Sic non sequitur hæc sequela: Pontifex aut est caput Ecclesie aut nullum datur, Nam Christus est caput Ecclesie.

38. Consideratis speciebus compositarum propositionum, supereft ut pauca dicamus de eatundem affectionibus.

39. Non sunt autem pluresquam qualitas & oppositio: quantitatem etim non habent composita enunciationes, & ita consequenter nec æquipollentiam, nec conversionem: Quantitatem non habent quia quantitas est extensio prædicati ad suum subjectum; Sed composita propositio non resolvitur in prædicatum & subjectum, sed in antecedens & consequens & ita certe licet in composita propositione subjecta prædicata. Nec æquipollentiam & conversionem etiam habent, quia hæc affectiones ex quantitate quoq; oriuntur. Si tamen habeant, nō magno usui sunt.

40. Per qualitatem h. l. intelligimus affirmationem & negationem, quæ non dependet à simplicium enunciationum in propositione composita affirmatione vel negatione, sed à copula, quæ affirmatæ, enunciatio quoq; affirmativa est, quæ negata negativa est, ut: Si lapis non est homo, non est animal, hæc composita non est negativa sed est affirmativa, licet simplices hujus compositæ sint negativæ, videlicet lapis non est homo. Lapis non est animal. Composita tamen non est negativa, quia ejus copula, quæ est conjunctio, si, non est negata. Negativa vero fit ita; Non si Lapis non est homo, non est animal: sic hæc propositio copulativa. Homo & non est

Lea

**Leo, & non est asinus & non est equus;** non est negativa licet omnes simplices sint negative: Ratio est, quia affirmatio & negatio dependent à copula vel ab integra propositionis connexione. Hæc verò est negativa: **Non & homo est rationalis & est lapis,** quia integra connexio vel copula est negata: Sic quoq; nec hæc est negativa. Aut **non est brutum aut non est homo,** quia integra connexio non est negata: hæc vero est negativa. **Non aut homo est bestia, aut est lapis.**

41. Oppositiō propositionum compositarū tantum est, contradictoria; Si enim coimposita eadem affirmetur & negetur oritur contradictio; Contrariam autem & subcontrariam oppositionem non habent, quia carent quantitate.

42. Contradictoriæ sunt ex hypotheticis hæc: **Si homo est Leo est rugibilis.** Non si homo est leo, est rugibilis: Ex copulativis istæ, **Homo & est animal & est brutum, Non homo & est animal & est brutum,** vel ita: **Non & homo est animal & est brutum:** Ex disjunctivis verò contradictoriæ sunt hæc: **Aut homo est rationalis aut non est rationalis; non aut homo est rationalis, aut non est rationalis.**

43. Scholastici tradunt etiam oppositionem contrariam & subcontrariam, sed id potius artificiose fit, quam ex ipsa rerum natura deducitur. Cui tamen & hæc scire placuerit, is Petrum Fonsecam adire potest.

44. Diximus in thesi præced: 41. compositas propositiones habere oppositionem contradictionem, sed dubium hoc videtur occurrere: Contradicторia oppositio versatur inter propositiones, & quantitate & qualitate dissidentes, E. non est contradictionis oppositio in composita enunciatione, quia caret quantitate. Resp. i. habet oppositionem de lege, quæ dicit, duas contradictiones nō posse esse simul veras & simul falsas. Deinde respondere possum, quod vocabulum contradictionis ab Aristotele accipiatur vel strictè pro oppositione quæ est inter universalem & particularem & hoc modo in conjunctis nulla est contradiction, vellatè prout ab eo in alio loco definitur quod sit affirmatio & negatio opposita, & hoc modo accipimus, quando tribuimus conjunctis propositionibus oppositionem contradictionem. Tantum etiam de composita propositione.

B;

D.

*De Modalis Enunciatione.*

45. Aggredimur nunc doctrinam: sicut difficultate plenissimam, prout Logici eandem olim proposuerunt, non tamen hanc quoq; doctrinam sua laude & utilitate non carentem intactam relinquemus; sed paucis quoq; eandem attingemus, prout augustia chartæ patietur, accuratoria fortassis alio loco reservatur.

46. Magna enim hujus doctrinæ quoq; de modalibus necessitas & utilitas est, quia hujusmodi propositiones modales non tantum in Philosophorum sed etiam in Theologorum choro occurront: ut Matth. 18. v. 7. *Necesse est evenire scandala.* Originalis tex-tus ita habet ἀνάγκη τοῦ εἰν ελθεῖν τὰ σκάνδαλα. Heb. 6. c. v. 4. *Impossibile est eos, qui semel illuminati fuerint denud renovari ad penitentiam*, ibid: v. 18. *impossibile est Deum mentiri.* *Impossibile est Deo placere sine fide* Heb: ii. v. 6. Sic apud Theologos occurunt haec propositiones. *Necesse est prædestinatum salvare.* *Impossibile est Dei scientiam falli.* *Necesse est evenire, quod Deus futurum prævidit & similes;* Merito ergo & jure optimo peculiarem quamplam tractationem de doctrina hac instituimus.

47. Modalis enunciatio est, in qua dicitur aliquid inesse vel non inesse sub certo modo.

48. Modalis est vel composita vel divisa: Ita vulgo Scholastici & alij Lngici moderni adhuc dividunt.

49. Modalis composita est in qua totum dictum continuè cohæret, particula autem modalis præponitur vel postponitur dicto, ut *Necesse est hominem esse animal*, vel, *hominem esse animal necesse est.* Hic dictum est *hominem esse animal*, hujus partes utrobiq; continuè cohærent. Particula autem modalis necesse ibi antegreditur, hic sequitur. Modalis vero divisa est in qua particula modalis intra subjectum & prædicatum ponitur, ita ut extrema per interpositum modum dividantur & separantur, ut *Homo necessariè est animal.*

Nos hac vice de modali divisa quam propriè loquendo modallem statuimus, aliquid dicemus.

50. Præmittere vero placet aliqua documenta quæ in modalibus enunciationibus sunt observanda.

51. Do-

51. Docum: I. Omnia primum notandum est, quid sit modus. Per modos non intelligimus determinationes pure materiales, quæ non afficiunt copulam, vel quæ non afficiunt dicti compositionem & conjunctionem, ut cum dico: Petrus studet diligenter, Alexander fortiter pugnavit: Paulus docte scribit: Nec per modum intelligimus ejusmodi determinationem, quæ dicit habitudinem rerum ad nostrum sensum vel intellectum, ut: Ciceronem fuisse Oratorem, est perspectum, cognitum, auditum, intellectum. Sed modus nobis est determinatio, quæ determinat compositionem dicti, seu afficit ipsam dispositionem & conjunctionem extremerum & innuit sub quo modo insit prædicatum, subjecto, an necessario, an contingenter, an prædicatum possit insesse subjecto, vel non possit, hujusmodi sunt: Necessus, contingens &c: Hinc distinguunt Logici inter modos formales & materiales: Materiales modi sunt innumerabiles, sed non sunt hujus loci. Formales vero sunt quatuor. Necessus, contingens, possibile & impossibile. Dicuntur autem formales, quia dispositio partium, quæ per ejusmodi modos afficitur, est forma propositionis.

52. Ramus qui voluit tollere propositiones modales, dixit innumerabiles esse modos: Sic enim inquit lib. 6. Schol: Dial: cap: 3. Innumerabiles modi sunt, ut: Socrates disputat sapienter: Zeno respondet subtiliter, Alexander præliatur fortiter, agit bene, incedit oblique, scribit docte. Sed omnes haec modificationes sunt materiales, non formales, quas bonus ille Ramus à se invicem distinguere debebat.

53. Alii addunt verum & falsum, ceu duos peculiares modos & pro hac sententiâ confirmanda citant Arist: lib: de interpr: c. 12. ubi in ultimis verbis enumerat modorum affirmationem & negationem: possibile, non possibile: contingens, non contingens: impossibile, non impossibile, necesse, non necesse: Verum, non verum: Hic expressam ipse Aristoteles facit mentionem, veri, & per consequentiam ita etiam addendum esse videtur, falsum, quia falsum. Opponitur vero Resp. I. ipse Aristoteles incipiens dicere de propositio-

positionibus modalibus solum quatuor istos modos enumerat, pro-  
ut potest videri c. 12. lib: de interpr:

Et verum, & falsum non constituunt propositiones modales rigide  
loquendo. Verum enim & falsum non inferunt determinationem  
compositionis in se sed exprimunt habitudinem totius enuncia-  
tionis ad rem enunciandam, non sunt igitur veri modi rigide lo-  
quendo, quamvis libenter concedamus denominationem veri &  
falsi habere aliquid simile modis; qua ratione etiam coeteris modis  
*ab Arist: lib: cit: immiscetur.*

54. Docum: 2. Duo sunt in enunciationibus modalibus: 1. Di-  
ctum 2. Modus. Dictum vocatur oratio pura vel absoluta: Mo-  
dus vero quid sit, ex præceptibus patet thesibus; ut cum dico:  
*Omnis homo necessario est animal*: Dictum est omnis homo est ani-  
mal: modus est particula necessariæ, & sic in alijs modalibus pro-  
positionibus res se habet.

55. Docum. 3. Enunciationes modales propositæ in casibus ob-  
liquis debent resolvi in casus rectos, ut: *Necesse est hominem esse ani-  
mal, resolvitur hæc propositio in casus rectos hoc modo: Homo necessariæ  
est animal*. Sed tamen in illa commutatione casuum obliquorum in  
rectos observandum est, ne sensus propositionis mutetur, sed idem  
sensus in rectis sit, qui fuit antea in obliquis.

56. Doc. 4. Particulæ modales apponendæ sunt in resolutione  
propositionum hujusmodi prædicato, quod probabimus Dœ volen-  
te in tractatu de Syllogismo modali.

57. Docum: 5. In hujusmodi propositionibus sære solet fieri tra-  
jectio terminoruim, ut: *Necesse est hominem esse animal, possibile est ru-  
sticum esse doctum*, ita debebant formaci. *Hominem necesse est esse ani-  
mal: rusticum possibile est esse doctum.*

58. Quod attinet resolutionem eadem est ratio cum **absolutis**.  
Quod affectiones concernit, nulla hic etiam est diversitas: eadem  
enim est quantitatis, qualitatis, oppositionis, æquipollentia &  
conversionis ratio, quæ est in **absolutis** propositionibus, ut: *Homo ne-  
cessariæ est animal*, resolvitur hæc modalis ad hunc modum in subje-  
ctum & prædicatum: videlicet, *homo est subjectum, est necessariæ ani-  
mal* est prædicatum; hæc propositio modo posita est indefinita: Si  
verò

verò addatur signum universale fiet universalis, ut : *omnū homo necessariō est animal*, si particulare, fiet particularis : *ut quidam homo necessariō est animal*, si subjectum reddatur singulare & propositio fiet singularis, ut : *Petrus necessariō est animal*. Sic etiam hæc propositio est affirmativa, cum dicitur : *Homo necessariō est animal*, fiet vero negativa hoc modo, *homo non necessariō est animal*, & ita etiam oppositio est facta : Äquipollentes propositiones sunt hæc : *Omnis homo necessariō est animal*, *Nullus homo non est necessariō animal*. Non quidam homo non est *necessariō animal* : Conversio propositionum harum ita instituitur : *Omnis homo necessariō est animal*, convertitur hæc per accidens ita : *Quoddam quod est necessariō animal, est homo*. Sic hæc propositio : *Nullus homo necessariō est lapis*, convertitur simpliciter ita, *Nullum quod est necessariō lapis, est homo*. Exinde nunc constat propositiones modales & puras vel absolutas non differre resolutio- ne, quantitate, qualitate, oppositione, äquipollentia & conversione. Quæ omnia latius deducerem, & fusiū demonstrarem, nisi angustia chartæ obstareret.

59. Tantum de propositionibus modalibus, superest, ut uno atq; altero verbulo attingam doctrinam de exponibilibus enunciatio- nibus.

60. Enunciatio exponibilis est, quæ ob suam difficultatem ex cer- tis particulis ortam indiget expositione.

61. Resolvitur vero exponibilis ita, ut particula exponibilis ad prædicatum transferatur.

62. Forma enunciandi est eadem in exponibilibus ac in absolutis, quia hic non est diversa copulandi, convertendi, opponendi & argu- mentandi ratio.

63. Divid: exponibilis propositio est vel exclusiva, vel exceptiva, vel restrictiva, vel comparativa.

64. Exclusiva est quæ habet signum exclusivum cadens super co- pulam i. e. afficiens copulationem prædicati cum subjecto & ostendens quomodo prædicatum insit subjecto, ut : *Christus solus est Re- demptor noster*.

65. Signa exclusiva sunt: *Solus, unicus, solum, tantum, duntaxat, &c.*

66. Exclusiva est velexclusi subjecti, vel exclusi prædicati. Exclusi- va exclusi subjecti est in qua ponitur certum subjectum & excludun- tur alia subjecta à participatione prædicati, ut : *Sola fides nos justificat,*

C

certum

certum h̄ic subjectum, fides, ponitur, & alia subjecta, videlicet bona opera excluduntur à participatione prædicati.

67. Exclusiva exclusi prædicati est, quando certum prædicatum ponitur & determinatur, & alia prædicata excluduntur & removentur à subjecto Enunciationis, ut: Prædicamenta tantum sunt decem: Diabolus tantum male agit i. e. Diabolus nullam actionem quam malam peragit. Notetur distinctionem aliqualem esse inter exclusivam exclusi subjecti, & exclusivam exclusi prædicati: Hæc plerumq; habet particulam adverbialem, illa nominalem, uti ex exemplis in medium productis id patet,

68. Diximus supra particulas exponibiles, ad prædicatum esse referendas in resolutione harum enunciationum, sed hanc sententiam dubiam reddere videtur exclusiva exclusi subjecti, ubi particula exclusiva ad subjectum potius, quam ad prædicatum referenda esse videatur. Resp. licet Grammaticâ constructione videatur sæpè ad subjectum referri, ad prædicatum tamen pertinere probari potest. 1. ex conversione, 2. oppositione. 3. ex bona & formali consequentia, syllogistica 4. ex consequentia falsa. Deinde dicitur exclusiva subjecti ab officio excludendi non verò quasi ad subjectum pertineat.

69. Exceptiva est quæ constat signo exceptivo cadente super copulam, ut: Nullus homo præter Christum est innocens & absq; peccatis: Omne animal præter bruum est rationale. Signa exceptiva sunt, præter, nisi, præterquam &c:

70. Restrictiva est, quæ constat signo restrictivo cadente super copulam, ut: Homo secundum animam est immortalis: Signa restringendi sunt, quæ; quatenus, in quantum, secundum, quo ad, apud Græcos ēv ad Eph. 2. v. 14. &c 2. Corinth. 13. v. 4. &c Rom. 8. v. 10. &c Rom. 1. v. 3. apud Hebræos illa specificatio vel determinatio in quantum, vel quoad est eruenda ex proprietate linguae, videlicet ex superabundance nominis. Job. 18. v. 11.

71. Restrictiva est vel reduplicativa, vel specificativa.

72. Reduplicativa propositio est, in qua dictio reduplicans addit, vel ostendit causam vel rationem, propter quam prædicatum subjecto insit: Ut verò causa est quadruplex: Ita etiam propositio reduplicativa fit quatuor modis: Vel enim prædicatum propter causam efficientem inest suo subjecto, ut: Ignis, in quantum est calidus, calefacit, vel

vel propter materiam, ut *corpus*, in quantum est materialium, est passibile  
vel propter formam, ut: *arbor*, in quantum habet animam, est vivens,  
vel deniq; propter causam finaliem, ut: *finis in quantum finis est principium electionis.*

73. Specificativa propositio est, in qua terminus restringens determinat aliquam naturam, rationem, notionem, formam aut partem subjecti, secundum quam praedicatum conveniat subjecto; ut: *homo, in quantum corporeus, est mortalis. Homo secundum animam est immortalis.*

74. Notetur autem, dictionem specificantem in propositionibus specificativis esse vel diminuentem, vel explicativā: Diminuens dictio est, quæ ostendit praedicatum non convenire, subjecto absolute, sed saltem secundum aliquid sui, nempe secundum certam subjecti partem aut formam, ut: *Aethiops secundum dentes est albus.*

Dictio vero explicativa in explicativis propositionibus est, quæ non tam necessitatis causa, quam explicationis gratia additur, ut: *Bonum in quantum bonum, est objectum voluntatis* vide hac de re Exceleutis. *Virum Johan. Scharf. Preceptorem meum atatem devenerandum in institut: Log: lib. 2. cap 7. p 1 49. & seq de speciat.*

75. Comparativa propositio est, quæ propter terminum comparativum indiget expositione, ut: *Petrus est doctior Paulo.*

76. Comparativa alia est propria, cum forma seu abstractum convenit rei excedenti & excessæ ut, *Johannes est magis prius, quam Philippus.* Alia impropria, cum forma seu abstractum seu tertium, in quo sit comparatio, saltem convenit rei excedenti sed non excessæ, ut: *Lutherana religio est melior Photiniana: quæ ita exponitur: Lutherana religio est bona, Photiniana non est bona.* Alia impropriissima, cum forma comparativi termini nec rei excedenti nec excessæ competit, ut: *Fornicatio simplex est melior adulterio: quæ ita exponenda est: fornicatio simplex est mala: Adulterium est malum: Sed tamen fornicatio simplex adulterium malitiam superat.* Alias potest fieri expositio per terminum oppositum cum adverbio minus, ut: *Ebrietas est melior scortatione, i.e. Ebrietas est minus mala quam Scortatio.*

77. Expositiones omnium ex ponibiliū instituendæ sunt, prout judicium naturale nobis dictitat, nec hæc res involvenda multis Scholasticorum regulis, quæ valde ingenium turbant.

78. Canos

78. Canones I. Untus positio non est alterius exclusio, Intellige  
nisi expreſſe addatur particula exclusiva. II. Exclusiva non excludit  
omnia, sed ea faltem, quibus opponitur. III. Quod in certo enun-  
ciandi modo excipitur, id in communi debet comprehendendi sub eo, à  
quo excipitur. IV. Exceptiva universaliter negans exclusivē affirmat  
rem exceptam. V. Restrictiva ex modo restringendi, & ex  
mente dicentis censenda est atq; dijudicanda. VI. Multa videntur  
absolutè dicta, quæ intelligenda sunt comparatè. VII. Quæ com-  
paratè dicuntur, ne extendantur ultra terminos comparationis.

Hi canones videri queunt in Institut. Log. Scharf.

lib: 2: 6. 7. à p. m. 4ii. usq; 418.



## Hesiod.

**T**ῷ δὲ θεοὶ νεμεσῶσι καὶ ἀνέρες, ὅτικο ἀεργός  
Ζώη καὶ Φύνεστοι καθάρεις ἵπελοι ὁρμὴν  
ἢ τε μελισσῶν πάκατον τρύχωσιν ἀεργός.

**V**ividus cui virtus bello, qui fortis in armis  
Non tutus tuto sub lare miles agit,  
Hostibus ast aciem strictam imperterritus offert,  
Nec timet armatos acer adire viros.  
Quam Sors commisit Spartam mercator ut ornet  
Non dubitat fragili credere membra rati.  
Rustica gens, quamvis pariat cultural labores,  
Desinit haud fessis credere semen agris.  
Quid mirum proin pietatis & artis alumnos  
In studiis totos continuare dies?  
Miles enim ceu non frustra luctatur arenâ,  
Sic & virtutum qui juga juge colunt,  
**T**u pergas nostri qui portio maxima cordis,  
Ut tandem claro munere clarus eas.

ἀντοχεδιασί  
Amico suo effictim dilecto  
scribebat.

Andreas Tuxen,  
Bredtstad. Holsat.

ov

**O**υ Φιβέν πόλεμαι, ὅπι σὸν ἀπεσάσκευος ἐστ  
Αλλὰ ἔπιμ<sup>Θ</sup> αἱ τεῖς τὴν αγάνα πέλεν.  
Ολβίος ὅσις ὁ ἀλοιος κατασκευασμέν<sup>Θ</sup>. ἐστ  
Τοιάντις, ἔστητι δυνατολέμη<sup>Θ</sup> αἱ  
Συγχάρωσ<sup>Θ</sup> ἐπι περδίας; σὲ πεάγυματα πόρρα  
Εὐλογέν ὁ Θεός παντικεάτωρ βασιλός.

ὕπτως ἐλλογιμοθάτω κυρια δότοντο μονέφ  
ολεκαρδίως συγχαρεῖ

**Christianus Ludolphi**  
Tinnigstadio-Holsat.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn729608506/phys\\_0027](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729608506/phys_0027)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn729608506/phys\\_0028](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729608506/phys_0028)


**DFG**

**XL.** *Demonstratio quæ sit à causa remota* cœclusionem negativam, nunquam affirmativam remotâ, non necessariò ponitur effectus, sublatâ tollitur effectus. Unde syllogismi dememotâ sunt in secunda figura in modo *Camest* quid respirat, habet animam sensitivam, *Lapis sensitivam*. *E. lapis non respirat*. In hac demonstratione sensitiva est causa remota respirationis, noua præsens animâ sensitivâ, non ponitur respiratio, pri sensitivam habent, non tamen respicant. Proxima respirationis. Exinde perspicuum est, sa, e. g. animâ sensitivâ non posse procedere a etiâ, respirationem. Negativè tamen optinet quæntia, Sublatâ enim causâ remotâ, effectus monstratio à causa remota habet aliquam convictionem absolute ita dicta, quia utraq; effectus ab ea 1. quia non est causa proxima, per 2. quia propositiones non sunt immediatae. De effectu longè est perfectior illâ, quæ est à causa demonstratione ab effectu propositiones immediatae non contingit in demonstratione à causa remota causa est, neque propositiones immediatae.

**XL.** Sed dicat fortassis aliquis hanc divisionis non esse immediatam, sed dari alia genera demonstrationum, aliam *τέχνην*, aliam *τέχνην*, quæ demonstratur *τόπος & διόρθωσις* simul. Ita *com. 9s.* & *in epit. cap. de demonstratione & lib. 2. alibi Resp.* Objicienti hoc dubium, non esse demonstrationem aliam *propter quid tantum*, aliam *simul*. Nam omnis demonstratio *διόρθωσις* involvit.

2. Objiciunt & alij hoc modo: Si datur demonstratio ad effectum, & vicissim ab effectu ad causam, monstratio ab effectu ad effectum aliud necesse est. Ratio, quia propter necessariam effectuum con-

C



the scale towards document